



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXV. Regis Pannoniae frater aduersa ualetudine tentatus,
facto castitatis uoto, statim conualescit; & tandem uotum persoluit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

pore, quod Virginis liberalitate accesserat, purè, ac sanctissimè coluit.

MIRAC. VIRG. XXXV.

Regis Pannoniae frater aduersa valetudine tentatus, factò castitatis uoto, statim conualescit; & tandem uotum persoluit.

DVM Carolus Gallorum rex imperaret, regis Pannoniae frater tanta erga Virginem religione animum suum deuinxerat; ut nunquam ullum cibum capere uisus sit, nisi priùs eius laudes, hymnos, & cantica; ab Ecclesia sacrosancta instituta recensuisset. Forte molesta valetudine tentatus, uotum castitatis suscepit; qui postea aedibus splendidissima luce repente effulgentibus, planè conualuit. fratre rege mortuo, eorum, qui in illa prouincia primores erant, hortatu, de uxore ducenda agere incepit; ne Pannonijs rege carendum esset. Iam n. exacta penitus stirpe regia, nemo erat praeter ipsū, qui regni munia obire posset. Animum ergo ad uenustam adolescentulam, quae liberali forma, & aetate integra erat, adiiciens, nuptias apparari iussit. Facto in sacra aedem maximo concursu populi, ut sacrosanctis ecclesiae institutis, & ceremonijs nuptiae stabilirentur; iuueni ad memoriam redactum est, à se non cumulare, uti solitus erat, precationis muneri satisfactū fuisse. Quapropter statim, nihil morans, piaë obsecrationi operam dare incepit. Recitanti autem illa uerba, PVLCHRA ES, & decora, ipsa regina sole,

sole, ac syderib. ornata Angelorum maximo comitatu obuiam concurrat. Ea iuuenem ita allocuta est: Si in me spectatam pulchritudinem agnoscis, si me formosam, si decoram appellas; cur à me oculos amoues, cur animum à me abducis; & cum altera nuptias properè maturas? Non te fides, non uotum, non iusiurandum reprimat, aut reflectat? His uerbis ipse ualde commotus est; qui, ubi recessit metus, Virgini animū suum indicauit; dixitq. ad ea, quae ipsa imperasset, accuratè, ac maturè facienda, se paratum esse. Tunc parens sanctissima respondit. nisi id quod in rem tuā est, te uolo: Nam, si animum, mihi morem gerere: & ab hisce nuptiis penitus abhorrere, induxeris; teq. in puro, & casto amore totum occuparis, me tibi in coelesti regno sancto foedere sponsam futuram, pro certo habe. Quòd si conceptionis festum diem, quotānis celebraueris; scito, tibi à filio meo lauream coronam dono datum iri. Haec uerba iuuenis animo omnino fixa ita haeserunt; ut statim è mundi malis emergens, se regno clanculum abdicans, Aquileiam uersus effugerit. Ibi diu eremiticam uitam in deserta quadam rupe parcè, ac duriter egit. Tandem eius sanctitatis fama ad omnium ferè aureis accesserat. Quocirca maximo omnium plausu Aquileiae Patriarcha delectus est; quo tempore & miraculi palam proferēdi optima ei occasio ostentata est; ac summa data est potestas, conceptionis festi diei aeternae memoriae consecrandi.

Et MI-